

C. S. to P

Beatissime Pater,

Infrascripti Patres conciliares, Commissionis de Doctrina Fidei et morum Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II sodales, coram Deo et pro conscientia audent reverenter Sanctitati Vestrae animum pandere.

Labor praedictae Commissionis non potest fieri ea alacritate ac methodo quibus uti necessarium esset ut textus sine nimia mora proponi possint hac praecipue de causa quod Em.mus Praeses, Cardinalis Alafridus Ottaviani, magis laboribus obstacula parat quam solutiones affert.

Ut res magis eluceat conabimur ad tria capita quaerelas nostras reducere.

- 1) Em.mus Praeses in Sessionibus moderandis nimis partialiter procedit, nam constanter se inclinatur pro una sententia potius quam, supra disputatas opiniones existens, ut verus moderator liberae disceptationis coram omnibus sodalibus appareat, suam propriam quidem sententiam in fine proponendo. Ipse etenim unicuique Patri ei non consentienti immediate contradicit, non sine inutili ac fastidiosa disceptationis protractio.
- 2) Ex ipso desiderio propriam sententiam imponendi non semel accidit ut, postulata ab aliquo Patre de re iam sufficienter discussa suffragatione, Em.mus Praeses, quin petitionem verbis recuset, eam practice et callide praeterit, si timor adsit ut suffragatio eius opinioni contradicere praevideatur.
- 3) Hac ultima periodo quid mirum bis accidit in constitutione subcommissionum, Em.mus Praeses, ex sese potius quam ex membrorum ipsorum sententia proposuit constitutiones ita constituendae ut maioritatem mentium membrorum non repraesentent, quod quidem factum est. Hoc autem praebet facilitatem determinandi resolutiones ad mentem minoritatis, quod nobis gravissimum esse videtur, cum certe minoritas Commissionis maioritatem ipsorum Patrum non repraesentet.

Posset quis dicere omnia haec nobis fortiter repugnantibus non evenisse, attamen fatemur nos non his procedendi modis assuetos esse, reverentia erga Em.mum Praesidem non parum impediiri et moraliter non posse in unaquaque Sessione oppositiones excitare.